

motum planetarū in illo vicissitudine quādam temporum annī
omnis vita insit inferioribus, vel ἀπὸ τῶν ζωδίων, quod omnes a-
sterismi in eo præter unum, nomina animalium sortiti sunt, non
ut Astrologi volunt iudicarii, quod constellationes istæ habeant
Virtutes proprietatesq; communes cum illis animalibus, à qui-
bus denominationem acceperunt, h. e. quod producant confor-
mes effectūs, v. g. Tertium signum nomen geminorum accepisse
volunt, quod Sole id attingente geminetur calor; Sic cancerum
hinc dictum esse quod quemadm. cancer retrogreditur, sic & so-
lem in hoc signo regredi &c. hæc enim causa universalis non est,
sed factum hoc ab hominibus in seculo μυθικῶν in memoriā quo-
rundam Virorum illustrium, vel etiam alicujus fabulæ aut histo-
riæ: sic tamen ut dicamus impositores istos nominum magnam
figurarū habuisse rationem. A sacro Bosco dicitur Signifer, quod
referat signa seu in ea dividatur, quæ appellatio Poëtis, per quam
est familiaris uti Claudian. in Epigr. de Sphæra Archimedis:

Percurrit proprium mentitus Signifer annum &c.

Ptolomæο κύκλῳ τῶν ζωδίων dicitur, Aristoteli & aliis circulus
obliquus, in qua denominatione sæpè Zodiacum & Eclipticam
pro eodem sumunt.

§. 3. Quæ de circuli maximi ratione ac aliis, quas cum Æ-
quat. communes habet proprietatibus diximus, hîc repetenda
non sunt. Sed dicendum qua ratione divisio in 12. partes institu-
ta fuerit. Quamvis enim hæc omnia pendeant ab Astronomorū
arbitrio, tamen non temerè institutū ab ipsis credendum est. A-
lii ad 4. humores animalium, in quib9 triplex reperitur gradus,
vel ad quatuor elementa tres terminos principium mediū & fi-
nem juxta ἀκρῦβειων Peripateticam possidentia respiciunt; 4 enim
per 3. multiplicatis, proveniunt 12. Alii meliùs ad Solem ipsum
qui toto anno Zodiacum percurrit, & intervalla temporum ac
discrimina facit, attenderunt, ut partirentur circulum ad varie-
tates temporum notabiles. Tales autem sunt 12. Quatuor enim
cardinales tempestates tres differentias notabiles habent. Hinc
etiam nomē signi, quod designet varia anni tempora. Ve etiam
respexerunt ad 12. mensium seu Solarium seu Lunarium nume-
rum, vel deniq; ad dignitatem numeri duodenarii, habet enim
partes aliquotas quinque, ut facilè omnes aspectibus siderum, de